Dixerat. atque illam media inter talia ferro
conlapsam aspiciunt comites. ensemque cruore
spumantem. sparsasque manus. it clamor ad alta
atria. concussam bachatur fama per urbem
lamentis gemituque. et femineo ululatu
tecta fremunt. resonat magnis plangoribus aether
non aliter quam si inmissis ruat hostibus omnis
Carthago aut antiqua tyros. flammaeque furentes
culmina perque hominum uoluantur perque deorum
audiit exanimis. trepidoque exterrita cursu
unguibus ora soror foedans. et pectora pugnis
per medios ruit. ac morientem nomine clamat
hoc illud germana fuit. me fraude petebas
hoc rogus iste mihi. hoc ignes araeque parabant
quid primum deserta querar. comitemne sororem
spreuisti moriens. eadem me ad fata uocasses
idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset
his etiam struxi manibus patriosque uocaui
uoce deos. sic te ut posita crudelis abessem
exstinxti teque meque soror. populumque patresque
sidonios. urbemque tuam. date uulnera lymphis
abluam et extremus si quis super halitus errat
ore legam. sic fata gradus euaserat altos
semianimemque sinu germanam amplexa fouebat
cum gemitu atque atros siccabat ueste cruores
illa graues oculos conata attollere rursus
deficit. infixum stridit sub pectore uulnus
ter sese attollens. cubitoque adnixa leuauit
ter reuoluta toro est. oculisque errantibus alto
quaesiuit caelo lucem. ingemuitque reperta
Tum iuno omnipotens longum miserata dolorem
difficilisque obitus. Irim demisit olympo
quae luctantem animam. nexosque resolueret artus
nam quia nec fato merita nec morte peribat
sed misera ante diem. subitoque accensa furore
nondum illi flauum proserpina uertice crinem
abstulerat. stygioque caput damnauerat orco
ergo iris croceis per caelum roscida pinnis
mille trahens uarios aduerso sole colores
deuolat. et supra caput adstitit. hunc ego diti
sacrum iussa fero. teque isto corpore soluo
sic ait. et dextra crinem secat. omnis et una
dilapsus calor. atque in uentos uita recessit.

## MANIBUS AD TUMULUM QUINTO CELEBRANTUR HONORES

Interea medium aeneas iam classe tenebat
certus iter. fluctusque atros aquilone secabat
moenia respiciens. quae iam infelicis elissae
conlucent flammis. quae tantum accenderit ignem
causa latet. duri magno sed amore dolores
polluto. notumque furens quid femina possit
triste per augurium teucrorum pectora ducunt
ut pelagus tenuere rates. nec iam amplius ulla
occurrit tellus. maria undique et undique caelum
olli caeruleus supra caput adstitit imber
noctem hiememque ferens. et inhorruit unda tenebris
ipse gubernator puppi palinurus ab alta
heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi
quidue pater neptune paras. sic deinde locutus
colligere arma iubet. ualidisque incumbere remis
obliquatque sinus in uentum. ac talia fatur
magnanime aenea non si mihi iuppiter auctor
spondeat. hoc sperem italiam contingere caelo
mutati transuersa fremunt. et uespere ab atro
consurgunt uenti. atque in nubem cogitur aer
nec nos obniti contra. nec tendere tantum
sufficimus. superat quoniam fortuna sequamur
quoque uocat uertamus iter. nec litora longe
fida reor fraterna erycis. portusque sicanos
si modo rite memor seruata remetior astra.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BnF Bibliothèque nationale de France
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bibliothèque nationale de France / gallica.bnf.fr
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bnf_lat7906/0133